

## CODEX 13. olim signatus 1/13.

*Foliorum 187, 405 : 292 mm., dupli columnā exaratus saeculo XII. sub  
b. Frowino abate, quod innuant versus fol. 1 :*

O Frowine pater, fugiat te spiritus ater.  
Quod David condit, per te liber hic quia pandit.

*Codicem ornant nonnullae litterae initiales variis coloribus pictae.*

*Expositio Aurelii Augustini super tertiam partem psalmorum,  
quae exhibet psalmos explanatos a centesimo primo reliquos  
omnes.*

*P. L. 37, 1293—1966.*

## CODEX 14. olim signatus 1/11.

*Foliorum 187, 385 : 242 mm., lineis plenis exaratus saeculo XII. exeunte sub  
b. Berchtoldo (1178—1197) et Henrico I. (1197—1223) abbatibus monasterii  
Engelbergensis. Aetatem codicis indicant versus sequentes fol. 1 :*

Abbas dum fulsit Berhtolt me scribere jussit,  
Unde deus trinus vere quoque noscitur unus.  
Sed mox hic dignus, castus pater atque benignus  
Carnis onus posuit, praesentia scriptaque linquit  
Imperfecta. Sibi successit munere Christi  
Dictus Heinricus; bonus hic retinereque dignus  
Abbatis nomen perfecit et ipse volumen.  
Ergo dei pia mamma, tui quae filia nati,  
Tu genitusque tuus dignare voluminis huius  
Munus blanda datum bona mitis suscipe gratum.

*Litterae initiales partim minio tinctae omni ornatu carent, partim voluta et  
folia repraesentantes monstruosis hominum atque animalium figuris inter-  
mixtis suffusco colore confectae audaci manu insignique arte sunt delineatae.*

*Cfr. Rahn, Geschichte der bildenden Künste in der Schweiz.*

*Zürich 1876. Pag. 309 sqq.*

*Augustinus S. Aurelius. De Trinitate libri quindecim, pre-  
missa epistola ad Aurelium.*

*P. L. 42, 817—1098. Singulos libros praecedunt capitula. Folio 1'. conspicitur imago s. Doctoris tres adversarios confundentis his versibus illustrata:*

Malleus erroris, divini rore saporis  
 Augustinus hic ebrius indeque sobrius huius.  
 Hi metuant vultum, quia scit confundere multum,  
 Reges perfidiae convincens ore sophyae.

---

## CODEX 15. olim signatus 1/10.

*Foliorum 200, 382 : 278 mm., binis columnis exaratus saeculo XII. sub b. Frowino abate, testibus his versiculis fol. 1 :*

Frowino lumen coeli ferat hocce volumen,  
 Nam perscripsit idem, praecipiendo quidem.

*Codex bene rubricatus quatuor litteris initialibus „Frowinianis“ ornatus est.*

*Expositio beati Augustini episcopi super Johannem evangelistam i. e. in Joannis evangelium tractatus CXXIV.*

*P. L. 35, 1379—1976. Praemittuntur capitula et praefatio b. Augustini: Omnis divina scriptura bipartita est — ecce qui tollit peccata mundi. Pars prior huius praefationis desumpta est ex cap. 1. „De genesi ad litteram“ sc. usque ad verba: fecit deus coelum et terram (P. L. 34, 245—247); pars posterior: De illa vero coelesti generatione — tollit peccata mundi.*

---

## CODEX 16. olim signatus 1/14.

*Foliorum 221, 325 : 228 mm., lineis plenis exaratus saeculo XII. sub b. Frowino abate, quod liquet ex versibus fol. 1 :*

Hunc Augustini librum studiosa Frowini  
 Sancta Maria tibi fecit devotio scribi.

*Tituli sermonum sunt rubricati et litterae initiales praeter duas maiores Frowinianas minio ductae. Ultimum folium salvo textu est mutilum.*

Sermones ad populum diversi sancti Augustini episcopi, quos de evangelicis et apostolicis dictis difficilioribus lucidius et apertius explanando declaravit.